





10
86

QVID SIT
HONESTE VIVERE,

secundum naturae praecepta

In

ACADEMIA LIPSIENSI

DUCTV

M. IMMANVELIS PROEDEL

Facult. Philos. Affectoris,

explicabit

IO. FRIDERICVS KANDLER,

Schwarzenb. Mifn.

S. S. Theol. Stud.

Difertatione Posteriori,

Ad D. XVI. Jul. M D C C I V.

LIPSI AE,

Typis CHRISTIANI GOEZI.

J. M. Beerig



QVAD SIT
HONESTE VIVERE

secundum naturae praecipia

In

ACADEMIA LIPSIENSIS

DUCTU

M. IMMANNVELLS PROFERET

Facult. Philos. Aethoris

explicit

IO. ERIDERICVS KANDLER

Sch. theol. Min.

- 2. 2. Theol. Stud.

Dissertatione Posteriori

M. D. XVII. M. DCC. IX.

LIPSIÆ

Typis Christiani Goez.



DISSERTATIO POSTERIOR.

Quid sit honestas, et quid honeste Viuere,
secundum naturæ Præcepta explicatur.

§. I.



VI in cognoscenda re quadam recte et sapienter versari cupit, illi non satis esse debet, ^{Quomodo in} recte cognoscituisse varias rei denominationes, aut uti ^{recte cogno-} scienda re quadam Philosophi loquuntur, terminos. Is enim ^{dam, homini} infimus et fere puerilis cognitionis gradus est. ^{docto agen-} Neque etiam solide doctus acquiescet, si ^{dum sit?} cognouerit varias de re, quam scire studet, sententias aut opiniones, siue quod maius quiddam est, si intellexerit rationes et fundamenta huius vel illius opinionis, et quid auctorem in hanc vel istam sententiam deduxerit. Hoc enim tantum historicum quiddam est, quo quisque defungi facile potest, qui linguas scriptorum intelligit, et aliorum opiniones aut doctrinas recensere potis est. Sed cognitio et doctrina hominis vere docti postulat, ut ipse sciat sua opera et meditatione, veram sententiam investigare, et perspicere proprio intellectus lumine, rationes et causas, cur res sic et non aliter comparata esse possit. Elucescet tum quidem, quam pauca recte et solide per nos ipsos sciamus: Quo tamen impetrato, haud deinceps erit difficile nosse, quomodo res commode possit denominari, quomodo rectrum de aliorum opinionationibus ferendum sit Iudicium, quid in ipsis probandum, quid vero minus assensum eorum mereatur, qui recta intelligentia verum perspiciunt.

A 2. §. II.

Cur Docto-
rum homi-
num senten-
tiae de hone-
state, adductae
et explicatae
sint Disserta-
tione priori.

§. II. Quoniam vero necessum est, rei terminos aut de-
nominaciones rei initio addidicisse, neque fructu destituitur, a-
liorum sententias circa rem aliquam imprimis difficilem et ar-
duam cognitās habere: ideo *Dissertationem priorem* tractationi
Philosophico - Historicae destinauimus, vbi aliorum iudicia et
opiniones, de eo quod honestum et quid honeste viuere sit, re-
censentur. Restat vt sententia, quam nos quidem sequendam
praecipue putamus, a nobis explicetur. Ita enim fiet, vt hone-
statis non modo vox aut denominatio intelligatur, neque solua
constet, quid veteres aut recentiores de eadem senserint, quod ex
superiori Dissertatione colligitur: sed elucescet quoque, in quo
honestae vitae ratio, et hominis honesti indoles animique habi-
tus constituendus sit.

De differentia
iusti, decori, li-
citi et honesti.

§. III. Antequam hoc ipsum a nobis ostendatur, melio-
ris lucis causa paulo accuratius indicanda est differentia, per
quam abs se inuicem distinguitur *iustum τὸ δίκαιον*, *deco-
rum τὸ πρέπον*, *licitum τὸ ἔξεσι*, denique *honestum τὸ καλόν*.
Sciendum est, res nonnullas inter se differre, vt diuersae aut
distinctae quidem habeantur secundum *opinionem communem*
et loquendi usum, quae tamen, si accurate expendantur, sunt
quoad *rei naturam* idem, quale est exempli causa *Lex* et *obli-
gatio superioris*, *intellectus reflexio* et *conscientia*, plerumque e-
nim aliam vulgus sibi format ideam intellectus recti et consci-
entiae rectae, quod etiam in multis aliis vsu venit, quae ta-
men, si secundum rationem accuratius excutiantur, nullam inter
haec differentiam deprehenderis. Sunt e contrario res non-
nullae ita comparatae, vt ipsorum natura aut indoles a se in-
uicem reuera distet, licet secus nonnulli id putent, et refert
omnino, vt haec re distincta distincte proponantur, diuersis-
que nominibus notentur. Hunc in modum putamus a se in-
uicem differre *iustum*, *decorum*, *licitum*, *honestum*.

Vnde diffe-
rentia, iusti
decori, liciti
et honesti de-
sumenda sit.

§. IV. Ut horum natura a principio exactius cognoscarur,
generatim notamus, denominationes actionum humanarum,
quod dicantur iustae, decorae, licitae, honestae, aut alio no-
mine appellentur, inde prouenire, quoniam ad regulam nor-
mam aut legem comparantur. Prout igitur actio aliqua,
normam praestantiorē, vel minus perfectam habet; aut
quan-

quando actio ad hæc leges aut normam exigitur, cum hæc vel perfectissime vel minus perfecte congruit, inde diuersas appellationes eadem sortitur. Duo itaque sunt fontes generales, unde diuersitas et distinctio actionum humanarum pendet (1) *legis aut normæ diuersitas, perfectio aut imperfectio* (2) *accurata aut minus exacta conuenientia actionis cum lege aut norma, ad quam exigitur.* Hæc nisi admittantur, omnia vitia, virtutes, et actiones erunt æquales, nec ulla erit differentia, vti Stoici perperam sentiebant, si quis gallum gallinæcum vbi opus non fuerat, aut patrem suffocauerit.

§. V. Iam itaque distincte breuiter tamen videndum est *De Lege, et* (1) *de lege, (2) de actionum conuenientia cum lege.* Quibus conuenientia cognitis luce sua se proder, quid iustum, decorum, licitum, actionis cum et honestum sit, et quomodo inter se distinguantur. De tribus prioribus succincte admodum, et quantum ad nomen et indolem ipsorum, vti a ceteris distinguuntur, cognoscendam sufficit: de *honesto* autem paulisper fusius, pro suscepti argumenti ratione agemus.

§. VI. Leges sunt vel *diuinæ vel humanæ.* *Humanæ* Quotuplices leges ob imperfectionem et limitatam cognitionem legislatoris, imperfectioni et erroribus sunt obnoxiae. Hinc normam sine leges, et vnde cognoscantur, actionum omni exceptione maiorem non pariunt, sed exigendæ sunt ad leges diuinæ, si penitus securi de errore esse velimus. *Diuiñarum* autem legum vis et ratio nobis innoscit duplici modo, vel beneficio *luminis naturalis*, vel ex *peculiaris reuelatione* sacris literis explicata. De modo cognoscendi leges diuinæ ex reuelatione perfectas, nostrum non est agere, nisi forte quatenus reuelatio facta, per rationem tantquam instrumentum explicari, demonstrari et sensus illius investigari debet. Cetera ad Theologos et Theologiam moralem iure meritoque remittuntur. Restat itaque nobis modus cognoscendi leges diuinæ *luminis naturalis* ope.

§. VII. Ratio itaque perspicit, citra omnes leges scripta, aut latas humanas (hæc enim veluti leges diuinæ repetitæ Differentia actionum, ex lumine naturalis cognitarum) aliquas actiones *ita esse connexas, cum natura et* rum.

creatum rationali, ut haec salua separari a se inuicem nequeant, uti sunt actiones, ubi nostri aut alterius commodum ad perseuerandum in vitae statu necessaria promouemus, quibus mala et laesiones auertimus, qua agnoscere et reuereri tenemur superiorem, plurimaeque eiusmodi alia. Praeter haec dantur actiones, quae non quidem adeo necessariam connexionem cum natura et creatura rationali praecise habent, verum si exercentur, maius quiddam produunt, quam quod exigi necessario a quoquam poterat, neque ex lege conseruationis, neque ex nullo alio obligationis stricto vinculo, quod obuium est, et communiter allegari potest. Qualia sunt hosti et male de nobis mereri perseueranti, bonum inuicem rependere, condonare vitam, quem iustus ex causis occidendi potestas est, restituere alteri, quod ex compromisso aut pacto retinere iuste poterat, plurimaeque huius generis alia, quae pie nos agere vulgo dicimur.

Differentia iusti et honesti.

§. IIX. Quando priora exercentur, nimirum talia, quae cum natura humana et rationali sic coniunguntur, ut causa istius officii manifesta sit, et cum ratione efflagitar possit, oriuntur inde actiones *iustae*, accurate et stricte loquendo. Cum vero posterius usu venit, scilicet quando aliquid alteri praestatur, quod nullo iure necessario ab altero exigi potest, vocantur istae actiones *honestae*, accurate et stricte loquendo. Ex quo patet, *honestas* actiones plus dicere quam *iustas*, et Virum *honestum*, in tantum praestare *iusto*, in quantum sponte sua in non merentes munificus, praestantior est lege ad benefaciendum merentibus obligato. Itaque Vir honestus semper est iustus, sed non contra iustus statim dicitur honestus, ad hoc enim amplius quiddam requiritur, ut dictum est. Liqueet etiam, facilius cognosci et obseruari posse illud, quod *iustum est*, quam quod *honestum est*. Nam ut iustitiam cognoscas et obserues, tantum requiritur, ut consideres obligationem, quam alteri debes perfectam aut imperfectam, quale est; promissam mercedem soluere, egenti pro facultate auxilio aut stipe succurrere, similiaque. Sed ut *honestas* cognoscatur et exercentur, in eo nullam inuenies obligationem, praeter animi magnitudinem aut

aut beneuolentiam, quod etiam (quemadmodum Galli dicunt
La generofité) generofitas dici potest. Vti cum Deus pecca-
toribus indies de se male merentibus, beneficia praefat,
quando Iacob deceptus, non commotus mala fraude Labanis,
Leam in coniugio retinet, quam iuste poterat repudiare,
cum Vir pius mauult mala perpeti, quam cum imprecatione
aut perniciie inferentis calamitatem depellere, aqua faculta-
tem se iuste liberandi in promptu habet. Conf. Luc. VI. 27. ad
36. Luc. XIV. 14. Matth. V. 44. 45. Matth. XIX. 27. 30. 33.
Hinc quoque conspicitur, honestatem hanc fere exercere ne-
minem, nisi magnitudine animi et diuina propemodum vir-
tute praeditum, ceteri modo iustitiam aegre obseruare possint,
fatis se egisse existimabunt.

§. IX. Dixi iustam esse actionem, ad quam obeundam De iure perfe-
nobis obligatio *perfecta* aut *imperfecta* incumbit, vt indicetur, cto et imper-
fundamentum distinctionis iusti et honesti, non esse omnimodo, fecto, eiusque
collocandum in iure perfecto aut imperfecto, quasi iustum sit, differentia a
quod iure perfecto debetur, vt explere quod promiseris etc. iusto et honesto.
honestum vero quod iure imperfecto tantum praestatur, vt
eleemosynam dare indigenti, compensare merita ex aequo et
bono, licet non promiseris etc. Tam enim secundum ratio-
nis dictamen iniustus est, qui pauperi eleemosynam dare ne-
gat, si praestare eam potest, quam est iniustus, qui promissam
mercedem non exsoluit, licet in foro ciuili, vbi omnia pro-
pter hominum corruptionem, neque intelligi perfecte neque
ad viuum rescari possunt, conueniri nequeat, aut poena coer-
ceri, qui tam inhumane et barbaramente cum inopi agit. Sufficit
enim, quod propter hanc obligationem imperfectam vulgo
dictam, validissimam tamen, perfecte peccet eiusmodi durus
homo in legem rationis naturalem, cuius poena est, maligna
de ipso existimatio hominum iustorum atque honestorum,
et conscientiae propriae, si quam habet, lancinationes, vt de
poena diuina fileamus, quae satis in ipsum suo tempore ani-
maduertet. Conferatur tamen §. XXV. *Dissertationis Prioris.*

§. X. Haec de differentia *iusti* et *honesti* sufficiant, de *de- De Decoro,*
coro et *licito* nonnulla adhuc addenda sunt. Homo praeter
intel-

intellectum et rationem gaudet imaginatione. Quemadmodum igitur *iustum* ex *ratione*, *honestum* ex *excellencia rationis*, sic *decorum* ex *imaginatione* proficitur. Et frustra admodum laborant, qui *decorum* ex *ratione* deducere conantur, aut *decorum* tollere cupiunt antequam in homine imaginandi facultas, hoc imprimis rerum statu corrupto sublata est. Satius erat dixisse, moderandam esse imaginationem secundum rationis ductum. Quo facto consequetur, ut *decorum* quoque sese magis ad moderamen rationis componat. Contra qui tollere prorsus *decorum* voluerit, huic aut vna tantum, aut nulla vestimentorum forma erit relinquenda, omnesque ritus gentium ad unam legem erunt traducenda, quod nec fieri posse, neque si fieri posset, vtile futurum facile intelliget, qui imaginationis facultatem physicam, eius vim et varietatem aliquantisper accuratius cognouit. Add. *Dissertationis Prioris* §. XXVI.

Quid sit decorum.

§. XI. *Decorum* igitur est *accommodatio ad ritus et consuetudines*, ad quas *imaginatio hominum*, quibuscum viuendum est, *assuevit*. Nulla hac in re tradi regula potest, quoniam quicquid ex *imaginatione* in hac significatione accepta pendet, leges vniuersaliter generales respuit. Quatenus autem intellectum et *ratione* actio regitur, non amplius *decorum* est dicendum, sed *honestum* aut *iustum*. Itaque *decorum* in se indifferens est. Quoniam tamen in aliquibus *imaginatio* maiori vitio laborat, quam apud alios, sic ut interdum contra *rationem* praecipue ex commodo desumptam peccetur, uti in nonnullis vestimentorum generibus videri potest, quae sanitati obsunt, hinc danda est opera, ut idem ad normam utilitatis, elegantiae, et compositi moris emendetur. Cetera lege carente videntur.

Quid sit licitum.

§. XII. Quid *licitum* sit, nunc facile liquet. Est enim illud notio aut quaedam affectio generalis reliquorum. Omne enim *iustum* licet, omne *honestum* licet, omne *decorum*, nisi *rationi* repugnare ostendi possit, licet. Ut vero apud homines *ratione* recte videntes, *iustum*, *honestum*, *decorum*, hoc est *mores*, *ritus* et *consuetudines* *rationi* respondententes, aut ipsi non repugnantes, lege publica vetentur, et sic non *licitum* declarentur.

vix est credibile, nisi leges fuerint iniusti et inhonesti. Ad quam turpitudinem, apud nos in tanta rationis et doctrinae euangelicae luce, publica lege non facile proceditur nisi ab ignarissimis aut maxime improbis. Nam licet forte unius aut alterius mores, neque ad iustitiam, neque ad honestatem componantur, idem tamen nulla lege approbatur. Hinc licitum est, quod nulla lege ex ratione desumpta, iniustum, inhonestum, aut indecorum, est declaratum.

§. XIII. Ut igitur differentiam et explicationem nominum *inusti, honesti, decori, liciti*, summatim ex superioribus proponamus, antequam ad tractationem honestatis peculiarem accessus fiat, si terminos accurate adhibere, et cuique rei aut ideae distinctae, distinctum vocabulum tribuere volumus, (quod ad euitandam ambiguitatem secundum rectae Philosophiae praecepta facere necessum est) *Iustum* est dicendum, quod alteri iure perfecto aut imperfecto debetur, cuiusque causam allegare nobis in promptu est, *vid. §. 7. 8. Honestum* est, cuius causa non aequae patet, ideoque nec necessario exigi potest, interim tamen ex animi magnitudine, probitate singulari, beneficiendi studio, generositate, et aemulatione perfectionum diuinarum (*vid. Matth. 5. v. 48.*) quas Numen, citra omnem causam de qua vulgo constat, in homines exercet) proficitur *vid. §. 7. 8. Decorum* est, quod ad imaginationem hominum, quatenus rationi non aduersantur, adeoque exinde promouentibus ritibus, consuetudini, moribus externis, legibusque inolitatis, quibus nulla ratio subest quam placitum gentis, est attemperatum. *vid. §. 10. 11. Licitum* est, quod nec iniustitiae, nec honestati, neque decoro repugnat, adeoque citra impedimentum exerceri potest *vid. §. 12.*

§. XIV. Explicauimus hactenus rei denominationes aut terminos secundum naturam, non attendendo quomodo vel usurpati sint alias vel usurpari possint ab aliis. Qui enim ex usu doctorum hominum (et hic tamen particularis est) voces vult adhibere, Dissertationis prioris allegatos auctores conferre potest. Recte autem Philosophantis est, res considerare in se, uti Mathematici lineas, cuiuscunque tandem materiae inscribantur, aut a quocunque auctore adhibeantur. Quoniam vero

Quid sit iustum, honestum, decorum, licitum.

De honestate vitae in accurata, deinde in populari acceptione.

magna vis inest vsui loquendi, nec modicam tyrannidem exercet communis dicentium auctoritas, hinc cum accessum facimus ad honestatis et honestae vitae explicationem, putamus duplici modo ad intelligentiam maiorem nobis agendum esse. *Primo*, vt explicemus honestatis naturam *philosophice et accurate* sumptam, quo sensu vti supra ostendimus, honestum contradistinguitur iusto *vid. §. 7. 8.* Deinde quatenus honestas aut honeste viuere *communiter* sumitur, ex vsu iam introducto. pro actionibus siue ex honesto in specie dicto, siue ex iusto, siue ex decoro, siue ex licito provenientius. *Prior* vocis honesti explicatio, vtilissime quidem ad cognoscendum viri honesti characterem traditur, sed vti sunt tempora, paulisper remota eadem apparet, ab intelligentia communi, hinc verendum est, vt paucissimis vsui esse possit hæc opera. *Posterior* autem honestae vitae acceptio planior est, eiusque explicatio facilius intelligi, & ad vsus communes transferri potest. Quapropter honestae vitae rationem, in *posteriori* significatione acceptam, potissimum tractabimus, parce autem tantum breuiterque, *priorem* honestatis indolem attingemus.

De honestate
in accurata
significatione.

§. XV. Qui actiones suas sic instituere cogitat, vt quantum fieri potest, ad optimum perfectissimumque agendi modum proxime accedat & vulgarem superent, illi cogitandum est, de quadam sublimi exemplari aut Idea, ad quam tanquam ad normam perfectionis actiones exigantur. Iam cogitemus animo, dari ens perfectissimum, aut Ideam, cui nihil ad virtutem summam desit. Hoc si fuerit, necessum est, vt inter cetera imprimis in ipso eminentes duae virtutes sint conspicuae, *beneuolentia siue cuique etiam immerenti imprimis digno & indigenti benefaciendi voluntas*, deinde *rectus intellectus siue prudentia* perspiciendi quomodo cuique benefacere conueniat, siue in propulsando malo, siue in conferendo commodo, ne dignitas aut praestantia beneficii absit, aut imminuatur. Habet ergo *vir honestus*, quid sibi agendum sit, si honestatis rationem, quae iustitiae legibus contradistinguitur, exequi cupiat. Nimirum exercebit *honestatem*, hoc est, virtutem, *qua aduersus omnes etiam immerentes, maxime vero dignos & indigentes be-*

neuoletissimum ostendit animum, neminem cura rationem of-
fendit, atque hac intellectus prudentia vitur, ut quomodo bene-
facere oporteat, ex accipientis & beneficii praesentia provide-
at.

§. XVI. Cuiusmodi vir honestatis obseruantissimus (vt Officia ^{viri}
ex plurimis eius actionibus ad explicationem pauca heic loci com-
memoremus) aderit ope & auxilio, qui nec beneficio, nec ob-
ligatione singulari, imo suspitione sinistra, virtute tamen aliqua
& indigentia officii alicuius ipsi sunt cogniti. Hoc enim est,
quod in Idea perfecta virtutis contineri animaduertimus per §.
XV. cuius ipse aemulus & perstudiosus est. Idem bonum pro
malo repender. Haec enim summa est beneuolentia, quae nul-
lo iure stricto exigi potest. Obluiscetur iniuriarum, vt quod
secundum iustitiam non debebatur, ex beneuolentia profectum
animaduertere queas. Hostem aut male de se meritum, emen-
dare non perdere studebit, vt emendando ipsius ferocem stul-
titiā aut errorem, se ipsius amicum ostendat, qui laedi iniu-
riis, vt auerti a beneuolentia voluntate nequeat. Multo plura
praestabit, quam quae vulgo legibus exequi iubemur. De mani-
feste iniustis aut subdolis actionibus contra leges ne cogitabit qui-
dem. Add. Dissert. Prior. §. X. vt se non iustum modo secundum
imperata legis, sed etiam honestum ex naturae benignitate &
eminentia virtutis ostendat. Actiones indifferentes imo etiam
licitas, si innocens aut simplicior is queat offendi, omittet, donēc
talismodi homo melius edoceatur. Ne beneficiendi vo-
luntatem etiam in iis, in quibus summo iure agendi libera ipsi
potestas est, omittat, & suo potius iuri cedat, quam vt male opi-
nandi materiam, etiam citra culpam suam excitet. Longum
esset singula honestatis officia per partes exequi, cuius rei sum-
mam indicasse nunc sufficiat. Sufficiat etiam nobis, qui ra-
tionem communem sequimur, non altius principia honestatis
deduxisse. Hoc enim si institueremus, vt quidem fieri posset,
verendum erat, ne vel theologorum sacris immisceremur, vel
talia proponerentur a nobis, quae vix intelligi possent, & pro-
inde vel maxime dubia viderentur. Quoniam obuiis plerum-
que, & quae sensus ferunt, atque praesentem ac necessarium v-
sum

sum habent in ciuilibus et popularibus negotiis, maximopere inhaerere, et ea vel sola tantum approbare mos est.

Quid sit honeste viuere in accurata significatione.

§. XVII. Itaque *honeste viuere*, quatenus in angustiiori significato a iusto secernitur, est omnibus, etiam non merentibus, et imprimis tamen dignis et egenibus, pro facultate benefacere, nemini actionibus suis obesse, aut quenquam citra rationem offendere dictis factisque, in beneficiis autem conferendis praestantiae et virtutis prudenti aequae rationem habere, illudque praestare antequam a nobis exigatur, sola animi beneuolentia et ex virtutis impulsu. Hinc merito tanquam minus honeste imo stulte factum reprehenditur a Iuliano in *Caesaribus*, Marci Antonini Philosophi Imperatoris, Viri alias cordati erratum, quod filio *Commodo*, perditissimo adolefcenti potius imperium commisisset, et ruere vna cum illo fuisset in praeeptis, quam ut generum Principem gnauum illo fastigio dignaretur, qui et Rempublicam recte tutatus fuisset, et filium eius *Commodum* melius quam ipse semet rexisset. Ceterum dico benefacere non merentibus, dignis tamen. Est enim inter haec differentia, quod immerentes ii sint, quibus nos minime obligamur, quasi illud de nobis aut aliis fuerint meriti, uti hosti vitae nostrae identidem infidiant, vitam et iniurias condonare, nobis minime antea beneuolentia cognito, honorem et amici fauoris gratiam praestare etc. *Digni* sunt, quibus adest perfectio aut praestantia, quae ipsos ab his virtutibus destitutis distinguit, uti si hostis nobis perniciem machinetur, ipse ceteroqui magnanimus, fortis, probus etc. Cuius vitae si parcat, immerens quidem est huius gratiae, sed ob ceteras virtutes et perfectionum praestantiam, quae ipsi adsunt, non indignus certe venia est.

Quomodo vitae honestas exercenda sit.

§. XIX. Scire tamen conuenit, hanc modo explicatam honeste viuendi rationem non semper obseruari posse in uita ciuili, imo si vniuersim et non consideratis rerum circumstantiis semper exerceretur, imprudentiam idem argueret. Sunt enim diuersa hominum ingenia, quibuscum viuendum est. Sunt improbi, et qui flagitiis, fraude, et sceleribus coopertam habent animam; sunt homines magis extra vitia quam cum virtutibus; sunt denique viri honestissimi pectoris, et quibus probitas,

bitas, pudor, virtus imprimis cordi est. Cum *posterioribus* si agendum est, honestatem viuendi omnino ostendere par est, quod nisi feceris, non modo non honestus, sed iniustus fueris. Aduersus *medios* decet etiam, vt haec vitae honestas prudenter tamen exerceatur, tum vt exemplo ad virtutem ipsis prae-luceas, tum quod maxime hoc casu honestatis exercendae copia detur apud eos, quae apud ceteros non tam in propatulo est. Honestissimi enim homines, veluti lege iustitiae et reciproco consensu tacito, honestae vitae officia sibi postulant. Sceleratis, vt mox dicitur, inutilis et pernitiosa interdum fuerint officia, ex sola honestate profecta. Itaque medii potissimum erunt, quibus maxime hanc honestae vitae praestantiam possis comprobare. *Vltimi* nimirum *scelerati et improbi*, quoniam veluti vitiorum feritate obruterunt, non tam benefaciendo et honestae vitae excellentia, quam poenis seuerioribus ad officii sui iustam rationem reducuntur. Ergo imprudens fuerit, quem nostri humanitatem aut honestatem tuam agendi, tibi in simplicitatis, aut animi expauescentis documentum computare, perpetuo velle mitissimis vitae rationibus, suae improbitati relinquere, et sceleris impunitatem, leuiori quam postulat flagitium, animaduersione confirmare.

§. XIX. Satis apparet ex definitione honestae vitae, ^{Quinam honeste viuere non possint.} *vid. §. 15, coll. §. 16. 17.* hanc honeste viuendi dignitatem praestare in vita non posse *imbecillioris iudicii, homines, ignaros et rudes* communium praeceptorum iuris aequitatisque naturalis. Hi enim, quoniam ne vulgares iustitiae quidem leges habent perspectas, quae cognitu haud sunt difficiles, neque internoscere virtutem a vitio, nec hominis honesti vera merita a gregario et obuiopossunt, quomodo ea, quae multo altius surgunt, assequi intellectu queant, non apparet, proinde neque intelligunt quomodo iis tribuere possint, quae conveniebat. Nemo enim alteri praestat, quod ipse nec intelligit, neque verum putat, adeoque nullo rationis vinculo se ad exequendum officium obligatum animaduertere potest. Honesteporro viuere nequeunt, homines *stulti, malitiosi, truculenti, barbari*, et vt paucis dicam, *benevolentia animique recta*

voluntate destituti. Est enim honestas, vbi quis cuique pro facultate benefacere studet, vltra quam leges vulgares exigunt. *vid. §. 15. et 17.* Cui autem animus et conatus ad bona deest, quid ab ipso potest expectari praeter detrimentum, fraudes et priuati affectus iniurias? Honestè viuere nequè illi possunt, qui *animi passionibus suae affectuum imperio agitantur:* his enim lumen intellectus, quod quodammodo habent, sub iugum mittitur et tenebris obducitur. Quibus licet illuxerit interdum honestatis scintilla, non tamen sui iuris sunt, vt vel imaginationi suae, vel auaritiaë, vel ambitioni, vel delectationibus suis in tantum imperare didicerint, vt in libertatem rationis vindicati exequi possint, quod intelligunt, sed post modicum affectus et rationis conflictum vltro remittunt, atque in affectuum suorum naturales inclinationes repugnante ratione consentiunt, ne quod aliquantum serio, non tamen satis constanter cupiebant, opere ipso factisque commonstrent. Cui proinde serio cordi est, vitam ad honestatem exigere, illi primo loco curae esse debet, vt *lucem intellectus* sua ope veritatem et rectiora intelligendi sibi comparet, ne praecudiciis, auctoritati, consuetudini, aut quod maximum est, falsis et in speciem argutis magis quam veris et solidis rationibus obtemperet, dum discernere nequit, quaenam alteri ratio sit praestantior aut verior. Hinc vel haerere incertus cogitur, et in scepticorum societatem concedere, vel quod multo adhuc est deterius, animo praecipiti et cedere meliora docentibus nescio, semel quam imbibit sententiam, mordicus et ferociter tueri solet. Deinde operam dabit honestatis studiosus, vt *voluntate in optima procliuis*, affectuum impetus ratione refrænare valeat, eaque agere et efficere prompte possit, quae recta ratione tanquam optima et verissima esse certo cognoscit. Frustra igitur honestae vitae rationem sibi pollicentur, qui his destituuntur. Frustra etiam et inani studio sine fructu ingeruntur istis praecepta honestatis etiam optima, etiam verissima, qui nec iudicio discernendi possent, nec sui compotes sunt, vt exequantur ea, quae verè cognoscunt: Prioris enim defectus facit, vt duci se ab astutis et malitiosis permittant; posterius efficit, vt flecti possint

possint ad omnia, quae ipsorum passionibus blandiuntur, possibilia omni ratione, nec expendunt quantum eos dedecus aut incommodum consequatur.

§. XX. Restat ut altera honestae vitae indoles, de qua §. 14. mentio facta est, quaeque magis in usu est, neque magnopere a iusto, in laxiori significatu. decore, licito discrepat, explicetur. Haec intellectu facilis est. Cum enim *iustum* sit, quod legibus per rationem cognitis, aut ex ratione latis congruit; *decorum*, quod imaginationi rationem non abolenti est conforme; *licitum*, quod legibus et consuetudini introductae respondet *vid. §. 13.* haud difficulter inde colligitur, virum in laxiori significatione *honestum* esse existimandum, *qui nihil repugnans legibus ratione cognitis, vel consuetudini moribusque introductis committit.* Ad leges rationis referenda putamus etiam ea, quae superiorum auctoritate, legibus publice latis muniuntur. Quoniam enim superior rationis ductum sequi praesumitur, nisi luculenter doceatur contrarium, hinc leges positivae Magistratus, quia rationibus quibusdam, licet vulgo non perinde notis, nisi credibile est, tales sunt habendae, quales leges naturales repetitae. Conferatur tamen §. 6. hac Dissertatione. Ad leges quoque *ratione* cognitae pertinere existimamus, leges diuinas ex reuelatione originarie profectas. Proinde diximus *ratione* cognitae, non ex *ratione*, ut notetur causa cognoscens instrumentalis, non principium inueniendi. Cum enim leges diuinae reuelatae ita sint comparatae, ut licet a *ratione* eius moralitas forte inueniri nequeat, a *ratione* tamen possunt cognosci, quod Deus ipsas homini obseruandas praescripserit; hinc homini perinde fuerit, an moralitas legum dependeat a demonstratione rationis, an vero a simplici certamine cognitione voluntatis diuinae, quae homini leges istas obseruandas praescripsit. Sufficit enim, hominem cognoscere, quod sic et non aliter se componere debeat in vita moribusque suis, siue ratio illud originarie cognoscat, per se tanquam principium, siue tanquam medium, quo reuelatio de faciendis aut omittendis facta intelligitur. Et hoc tanto magis, quoniam reuelatio, imprimis quoad mores hominum formandos, rationi non repugnat, sed satis apte cum eadem congruit.

§. XXI.

De norma honestatis in latiori significato.

§. XXI. Honestatis normam in latiori significato quatenus iustum, decorum et licitum includit, fecimus *leges* praecipue *diuinas*, tum etiam *humanas* rationi conformes, atque *consuetudinem*. Praecipue tamen et primario *leges* intelligimus, ad quas actiones dirigendae sunt. Quod enim *consuetudinis* quoque mentionem iniecimus, factum inde est, quia honestatis nomine latius acceptae, licitum et decorum quoque vulgo contineri diximus. Decori autem norma consuetudo est ratione moderata. *vid. §. 10. 11.* Atque consuetudines quidem multum ad honestatis opinionem conferre, inde est, quod homines nisi magnopere assueuerint ratione abstracta uti ad imaginationem comprimendam, (quod perpauci facere solent aut possunt) illud maxime iustum et licitum putent, quod a primis infantiae annis ipsorum sensibus et conspectui obseruatum est. Adeoque consuetudo legum vim, interdum etiam adhuc maius quiddam ex ipsorum opinione obtinet. Hinc simpliciores imprimis turbandi non sunt in rebus externis, quatenus inolita consuetudo non plane absurda est, aut rationi renititur. Maxime tamen in ferendo iudicio, de honestate vitae, quod se constanter tueri possit, ad *leges §. 6. et 20.* adductas respiciendum est.

Quomodo recta honestatis norma cognoscantur.

§. XXII. Verum difficultas non exigua oritur, unde legum latarum rectitudo cognoscatur? Fieri enim potest, optandumque erat, ut dici iure posset, factum nunquam fuisse, quod legislatores tulerint *leges* scelestissimas, absurdas, et quae nihil minus, quam hominem ad honestatem direxerint. Hic quantum quidem perspicere licet, optimum fuerit, ut primum consulantur *leges diuinae ex reuelatione profectae*. Quicquid enim ex reuelatione diuina proficiscitur, auctorem habet sapientissimum et aberrare nescium. Modo plane constet reuelationem, quam sequi volumus, certo esse diuinam, de quo prius circumspicendum est. Iis vero quibus illuxit, scripturae sacrae diuinitas et sacrorum oraculorum fides, (quod nobis Christianis contigisse laetamur) de hoc dubium amplius superesse nequit. Deinde consultum est, *ut ratio veris et genuinis Iuris et aequitatis naturalis principiis, moraliumque disciplina ex-*

col. 4.

colatur. Ita enim hominis animus antea ignarus; coecitate erroris praeiudiciorum et vitio naturali inhumanus, ferox et iniquus, magis excolitur et aptior efficitur perspiciendi officia, quae communia sunt, et quae praestare Deo, sibi ipsi, aliisque oporteat, cui deinceps singularium consideratio accuratior succedit. Quo cognito, licebit ex iisdem principiis paulatim videre, quae potissimum ratio legum conditarum causa extiterit. Sed quoniam nimis amplus circa hanc rem sentiendi campus est, quaeretur fortasse expeditum quoddam diiudicandi leges principium? quod quidem promptius efflagitari quam praestari aut tradi in vulgus potest. Veruntamen si generatim quippiam in re magni momenti dicendum est, putamus, illas leges et praeceptiones maxime ad honestatem et virtutem formare homines, quae perspicue praecipunt, nunquam *contra rationem et rectum intellectus iudicium*, deinceps, quod plerumque inde consequitur, neque *contra proprium commodum* peccandum esse. Intelligitur autem commodum non tam in rerum externis, quod bonum vile dicere solemus, et diuitias complectitur resque corporales, sed etiam vel praecipue commodum existimationis de virtutibus perfectionibusque animi nostri. Itaque indicatur, prouidendum homini honestatis studioso maximopere esse, ne quid actionibus suis committat, vnde existimatio ipsius de eiusdem animi perfectionibus imminuatur. Quod si enim hoc contigerit, deinceps ideo indignus a prudentioribus reputabitur, qui commodis externis siue bonis fortunae praeceteris gaudeat. Necessum autem est, istum amittere existimationem virtutum suarum, qui contra rationem aut rectum intellectus iudicium peccat. Qui enim tale quid committit, aut *ignorantia* rei peccat, et sic intellectus luce destituitur; aut *malo et imbecillia* animi *habitu* laborat, vt exequi nequeat, quae recta et salutaria cognoscit, proinde virtutis et animi robur ipsi deest. Hinc qui honestatem in aliis indicare vult, aut legum abs se latarum honestatem perspicere, animum praecipue aduertet, an leges ab auctore promulgatae, sano hominis recte indicare valentis iudicio repugnentur, et quod inde sequitur, an eius-

C
modi

modi legibus in proprium, aut commune cui nobis obligatio est, peccetur commodum. Eo sensu quo a nobis paulo ante est explicatum.

Quae sit honesto vivere in laxiori significatu.

§. XXIII. In latiori itaque significatione, quatenus honesta vita est, quae ex regulis iusti, decori et liciti aestimatur, *vivere honeste est, leges optimas*, id est diuinas recte cognitatas, et humanas rationi et aequitati naturali conuenientes, deinde consuetudinem introductam obseruare.

Quaenam sint leges optimae.

§. XXIV. Iam explicandum erat, quaenam sint *leges optimae*, et in quibus officiis consistant. Quod a nonnullis integris disciplinis secundum *Reuelationem* et *rationis* ductum est tentatum. Ideoque exigi a nobis haud potest, vt istae singulari explicatione, vbi principia perbreuiter proponimus, speciatim persequamur. Generatim tamen commendari merebitur celeberrima Imperatoris *Alexandri Seueri* vox: *Quod tibi nobis, id in alterum facere caueas* vid. *Egnatius Romanorum Principum lib. I. p. 402.* Cum quo consonat illud Christi seruatoris *Matth. VII, 12. Luc. VI, 31. Prout vultis, vt faciant vobis homines, vos etiam facite eis similiter.* Item illud *Vlpiani l. i. ff. quod quosque iuris. Quod quisque iuris statuit in alterum, vt ipse eodem iure vtatur. Quis enim aspernabitur idem ius sibi dici, quod ipse aliis dixit, vel dici effecti? Cui affinis est Triphonii sententia l. 37. ff. de minoribus. Non sit excusatio aduersus praecepta legum, qui dum leges inuocat, contra eas committit.*

De legibus naturalibus.

§. XXV. Perspicuum autem est, velle nos magnopere, vt adiuuemur, *ne perturbetur, sed sibi nostra constet animi tranquillitas, vt lumen rationis salutaribus et veris praeceptis imbuatur, vt nostra nobis integra sit famae nominisque debita existimatio, ne corpus nostrum laedatur iniuriis aut mutiletur, vt fortunarum nostrarum legitime partarum secura sit possessio. Tum etiam in singulis hisce, si desint haec nobis, cupere nos adiuuertimus, vt ad ea possidenda adiuuemur, aut eadem possidendo vberiori augmento amplifcemur.* Vnde consequitur, identidem elaborandum esse homini honestatis studioso, vt idem aliis opera sua, pro facultate viribusque sibi concessis praestet. Cum enim natura sic comparatum sit, vt cuique sui

fui conseruandi studium, in iis quae hoc loco a nobis commemorantur, a Deo Optimo Maximo iniunctum sit; omnes autem, ni fallor, quoad naturam, eadem anima et corpore gaudeamus; euidentis est, ut si velim ipse conseruari in iis, quae a Deo accepi, partibus; cum agnoscam aequalitatem naturae humanae, atque praeceptum de semetipso conseruando cuique esse iniunctum, quod nemo me deterior putari debeat. Si enim deterior me alter habetur quoad conseruandi necessitatem, fit hoc exinde, vel quod non easdem a Deo acceperit hominis partes, animam scilicet et corpus; vel quod non sit eadem ac ego creatura a Deo dependens, cui sui conseruandi necessitas, pari lege atque mihi est iniuncta. Quod vtrumque cum nequeat affirmari, consequitur, eiusmodi officia quoad necessitatem conseruandi, cuique qui modo homo est, concedenda esse, qualia egomet ipse expectare aut efflagitare ab altero possum.

§. XXVI. Deducuntur inde per plurima praecepta particularia, quae nexu quodam hisce cohaerent, quaeque in vita sociali sic esse necessaria elucent, ut nisi eadem obseruentur, emergens inde calamitas coegerit in foro externo homines, ut legibus et poenis munirent obseruandam hanc honestatem. (uti in vita civili factum esse scimus) quae tamen sponte sua, solo rationis dictamine, exercenda praecipiebatur. Ex quibus, ut nonnulla satis cognita per compendium afferamus, sunt: *Neminem natura sibi quoad conseruandi necessitatem inaequalem putandum; mala a quocunque esse auerenda, aliorum commodis profacultate esse studendum; pacta promissa et iniurandum esse religiose seruandum, neque sermone quenquam decipiendum, neminem in possessione legitime quaesita sine ratione esse turbandum, officia quae in societate coniugali, paterna, herili, vti etiam in statu civili atque imperio exigi possunt, prompte explenda esse, et per plura huius generis alia.*

§. XXVII. Haec talia sunt, quarum in vitae usu, cum manifesta necessitas ostendisset vilitatem, neque tamen sponte a barbaris et perfidis hominibus semper vti oportebat obseruarentur, factum est a sapientioribus, ut haec honestatis praecepta, legibus publice propositis, cuique iniungerentur obser-

Et quae inde sequuntur.

in ista
in ista
in ista

Vir honestus
sine coactione
leges honestas
obseruat.

vanda, imprimis quoad casus singulares, de quibus amplissime decidit Iuris ciuilibus doctrina. Factum etiam est, vt simul adiungerentur poenae secus facientibus, quae actiones vulgo iusti nomine veniunt. Enim vero cui honestas cordi est, facile perspiciat, rationem sua sponte sibi praecipere haec sancte tenenda, et aduersus alios esse exercenda, licet nulla lex ciuilibus lata, et nullae tabulae publicae, nullus Iudex, tribunal et Apparitores extitissent. Comminationes enim et poenae seueriores solum propter improbos, et cum honestas in animis hominum obliterari coepisset, originem habuere inter homines, quibus etiam hoc rerum statu carere minime possumus. Quod idem Sanctus Apostolus explicite docet in priori Epistola ad Timotheum Cap. I. v. 8. 9. 10. II. cum inquit: *Scimus bonam esse legem, si quis eadem legitime utatur. Hoc sciens, nempe iusto legem non esse, sed sceleratis et subiici nesciis, impiis et peccatoribus nefariis et profanis patricidis, matricidis et homicidis, scortatoribus, masculorum concubitoribus, plagariis, mendacibus, periuris, et si quid aliud est, quod sanae doctrinae sit oppositum, quae est secundum gloriosum Euangelium beati Dei, quod concreditum est mihi.*

Vir honestus
consuetudini
non repu-
gnat.

§. XXIIIX. Praeter haec, homini honeste viuere cupienti obseruanda sunt, quae consuetudo et mos introductus apud politiores gentes constituit, et communiter *decori* appellatione notantur. Qualia sunt ea, si ex infinitis propemodum, descriptione generatim quaedam commemoranda sunt, quae si rei aut officio legibus praescripto, veluti ex abundanti adiungantur, insignem gratiam, suauitatem, maiusque decus addunt, vel etiam quae in sola conformatione actionum morumque nostrorum cum alterius consuetudine agendi consistunt. Vir itaque honestus, *non tam sui moris tenax erit, quam id potius ager, vt, quae aliis accepta sunt et placent* (saluis honestatis et iustitiae regulis, de quibus antea dictum est, neque etiam hic intelligimus complimenta, qualia ab hominibus exigui iudicii vulgo adhibentur, quae non decora sed pene fatua sunt et affectationem in a nem olent) *non fastidiat.* Quod vero nonnulli *decoro* tantopere repugnant, illud ex nullo alio fonte est, quam

ex animi seuerioris austeritate, et quod ipsis admodum difficile sit, mores suos inolitos, et externa quibus quam diutissime imaginatio affluuit, dediscere. Homo autem honestus, quem hae significatione potius positum dixeris, dat nonnihil aliorum moribus atque consuetudini, et virtuti atque beneficiis, frontis hilaritatem, similiaque decora adiungit, et decorum potius ad modestiam traducere, quam prorsus abolere aut flagitium reum condemnare studebit, nimirum animaduertens, virtutis et internam honestatis rationem in eo minime versari, ut nec ideo, modo vanitas animique prauitas absit, turbare vitae civilis morem, sine omni fructu, non tamen sine incommodo, velit aut necessarium putet.

§. XXIX. Ceterum Vir honestus vitabit, quae homini De decoro vi-
facilis et serenae mentis, atque consuetudini vitae fauenti non ri honesti.
conueniunt. Dedecet ergo ipsum, aut si loqui ita vis, minus honestum est, *tristitiam vel nimium risum cultu praeferre, contra loci aut circumstantiarum indolem, praebere se in negotio difficilem, optare suspiriis opportunitatem, quam habere nequit, assa voce loqui in societate modestiori et culta, offendere aures sono affectibus calente et violento, cum vernis agitare sermones urbanores, cum summis viris verniliter colloqui, incessu, gestu, aut nutu insolenti peccare, indui habitu minus ex Reipublicae nostrae usu recepto, similiaque infinita, quae quomodo non euitanda modo sint, verum etiam quemadmodum horum loco quemque se componere ad decus oporteat, docuere peculiari- bus libris Theophrastus Eresius de Characteribus Ethicis. Io. Casa in Galathea siue de moribus, Erasmus Gallus aliquis, qui Dominus Courtin creditur, dans la civilité Francoise, et alius Anonymus, in libello ingenioso, de quo Dissert. Priori §. XXIX. mentio facta est, cuique titulus est Discours sur la bien des seance avec Maximes et des Reflexions tres importantes et tres necessaires pour reduire cette vertu en usage.*

§. XXX. Quae in praecedentibus de honestate et honeste De Conclusio-
viuendi ratione commentati sumus, ea principiorum instar sunt, nibus, ex no-
ex quibus praeeptiones, quae in vita communi obtinent, et stris principi-
proponi fere ab omnibus solent, tanquam conclusiones deri- is deductis.
van-

vantur. Quoniam autem Principiorum ea natura est, vt quidem conclusionum inde deductorum fundamenta sint, ipsa tamen principia a perpaucis intelligi aut in pretio haberi, plerumque autem conclusiones, quia in praxi obtinent, ipsis principii praeponi solent; commodum duximus, vt, antequam hic discedamus, vsum traditorum commonstremus, sic quidem, vt ex principiis a nobis explicatis reddi doctrinarum vulgo notissimarum ratio possit. Officia honesti Viri practica congesta in libro singulari, *Dissertatione Priori* §. 28. a nobis commemorato *Abbas Gaussault*, quem inscripsit *Le Portrait d'un bonnette homme*, *Effigies honesti hominis*, in quo capitibus XXIV. quicquid de viri honesti vita dici posse putauit, complexus est. Qui libellus vt lectu dignus est, ita videamus nunc, an ipsius propositae conclusiones, ex nostra doctrina satis perspicue queant commonstrari. Ibimus autem per summa tantum capita, quae ipse auctor secundum varia honesti viri officia latius explicat, et simul rationes horum officiorum ex nostris principiis adiciemus.

Vfus nostrorum principiorum.

§. XXXI. Capitis I. lemma est. *Vir honestus conuersationem hominum non fastidit, sed societatem honestam quaerit.* Diximus §. XXIX. Virum honestum aliis bene velle, leges et introductas consuetudines obseruare, et se ad mores rationi non repugnantes accommodare. Ex quo sequitur, virum honestum societatem hominum nunquam refugere. Si quis vero velit intelligere, quomodo appetenda sit conuersatio, quibusve ex causis, consulat ipsum auctorem isthaec capite adducto explicantem, quod etiam in reliquis vitae officii secundum capituli inscriptionem semper exequitur.

Cap. II. docet. *Vir honestus bene de scriptis alterius iudicat, neque praesudicio, vanitate perstringendi, aut per inuidiam de illis loquitur.* Diximus §. XXIII. et XXIV. virum honestum legem rationis et aequitatis obseruare, haec vero iubet recte de alio, vt oportet, non vero secundum praesudicia aut vulgi errorem iudicare.

Cap. III. *Vir honestus vitam eligit tranquillam et facilem, hoc est sine splendore et ambitione.* Diximus §. XXIV. XXV. virum honestum optare, vt animi et corporis fortunarumque bona sua secun-

secundum rationem conferuentur et augeantur, hoc vero omnium commodissime in statu vitae sine splendore et ambitione fieri potest. Ergo vir honestus eligit vitam sine splendore et ambitione.

Cap. IV. *Vir honestus educationi liberorum honestae dat operam.* Diximus §. XV. et XVII. virum honestum bene vellem omnibus, hinc etiam et vel praecipue infantibus suis, qui per aetatem se regere non possunt, bene cupiet. Optime autem alicui velle, est illa bona ipsi conferre, quae ex §. XXV. applicantur, quod honesta educatione fit.

Cap. V. *Vir honestus nunquam leui animo uxorum mores condemnat, nec male de ipsis pronunciat.* Diximus §. XXV. cuique tribuendam esse existimationem debitam, imo immerenti plus tribui a viro honesto §. XVI. hinc semper in meliorem partem de hominibus pronuntiandum est.

Cap. VI. *Vir honestus non est iracundus.* Diximus §. XVII. esse benefaciendum omnibus, ira autem nobis et aliis maxime nocet, igitur viro honesto non est excalescendum.

Cap. VII. *Vir honestus non tribuit nimium per pertinationem meritis suis.* Diximus §. XX. XXIII. Virum honestum legem rationis sequi, lex autem rationis est modestia, itaque nunquam gloriose de se loquetur vir honestus.

Cap. IX. *Vir honestus societatem honestorum, sapientum, sibi que similitium quaerit.* Diximus §. XXV. XXVI. Viri honesti esse, sibi et aliis bona animi, corporis aut fortunae procurrare. Hoc vero maxime ex illorum hominum societate oritur, qui talibus bonis praestant, Ergo horum conuersatio quaerenda est.

Cap. X. *Vir honestus nouit, ubi loquendum et ubi tacendum sit.* Diximus §. XXIII. XXIX. Virum honestum obseruare regulas iustitiae et decori, hae vero tradunt suo tempore omnia esse agenda, ergo modum tacendi et loquendi obseruabit vir honestus.

Cap. XI. *Vir honestus consuetudines receptas ac mores indifferentes seruat, rationi repugnantes vitat.* Diximus §. XXIII. et XXIX, honestum virum exacte obseruare iustitiam et quod secun-

secundum leges diuinas et humanas faciendum est, in reliquis consuetudinem obseruare, et agere id quod licet. Hinc vir honestus consuetudinem seruabit, quatenus iustitiae non repugnat.

Cap. XII. *Vir honestus non agit blanditiis aut adulatione, nec pro eiusmodi homine haberi vult.* Diximus §. XVII et XXIII. virum honestum leges iustitiae obseruare, et cuique benefacere. Iustitia postulat, ne quenquam adulando aut blanditiis decipiamus. Adulando decipere est malefacere. Ergo vir honestus non aget blanditiis aut adulatione.

Cap. XIII. *Vir honestus multo aliter quam vulgus iudicat de bono et malo, de felicitate et calamitate vitae.* Diximus §. XIX. honestatem exercere in vita non posse, homines ignorant et malos, quia veras rerum causas non perspiciunt. Vir honestus autem ista melius perspicit. Ergo idem multo aliter quam vulgus de vitae felicitate et calamitate iudicat.

Cap. XIV. *Vir honestus non est auarus.* Diximus §. XVI. XVII. virum honestum benefacere viuueris. Benefacere et auarum esse repugnant sibi. Ergo vir honestus non erit auarus.

Cap. XV. *Vir honestus nisi conscientia ipsius permiserit, nunquam utilitatis aut commodi licet maximi rationem habet.* Diximus §. XXVI. Virum honestum nunquam leges iustitiae violare, imo magis quiddam, quam ab ipso queat exigi praestare. Leges iustitiae autem formant conscientiam et praxin. Igitur vir honestus utilitatem nunquam iustitiae et conscientiae antepont.

Cap. XVI. *Vir honestus benefaciendo gloriam benefactorum suorum non quaerit.* Diximus §. IIX et XVI. Virum honestum praestare officia, quorum ratio reddi nequit, quod scilicet alia ex causa non agat, quam vt alteri benevolentiam suam praestet. Hoc vero fit, si ex benefactis nulla gloria, sed tantum inferuendi alteri voluntas probetur. Igitur vir honestus nullam ex factis suis gloriam quaeret.

Cap. XVII. *Vir honestus et probus, solitudinem et a negotiis vacationem interdum quaerit.* Diximus §. XX. virum honestum secundum leges diuinas recte cognitatas, et humanas ratione recta nixas, agere. Hae leges inter strepitus quotidianos accurrate cognosci nequeunt. Ergo vir honestus quaeret interdum solitudinem et vacationem a negotiis.

Cap.

Cap. XVIII. *Vir honestus sumptus impendit rebus suis pro conditionis suae et fortunarum ratione.* Diximus §. XXIIIX. virum honestum iustitiae et decori aut convenientiae rationem sequi. Qui plus impendit quam facultates permittunt, iustitiam explere nequit, nec decorum obseruat. qui vltra consuetudinem assurgit sumptibus. Ergo vir honestus sumptus et expensas pro conditione fortunae suae moderatur.

Cap. XIX. *Vir honestus mature idoneis rationibus prospicit liberis suis.* Diximus §. XV. et XVII. virum honestum benefacere pro facultate omnibus, tum ex honestate, tum ex iustitia et decoro. Vtrumque in liberis obtinet. Hinc vir honestus ipsis mature secundum rationem prospiciet.

Cap. XX. *Vir honestus sapienter de fortuna et casu cogitat.* Diximus §. XXIII. seqq. virum honestum iustitiam sequi. Deo autem tribuere res humanas iustum est. Hinc fortunam et casum vir honestus sapientiae diuinæ tribuet.

Cap. XXI. *Vir honestus de morte cogitat, quam constanter et imperterritus expectat.* Diximus §. XXIII. seqq. virum honestum leges diuinas venerari. Ergo etiam legem moriendi, quam proinde imperterritus expectat.

Cap. XXII. *Vir honestus recte et vtiliter scientia sua vtitur.* Diximus §. XXIV. seqq. virum honestum secundum legum diuinarum et humanarum obseruantiam se componere. Igitur ex hac scientia viuet, et eandem salutariter in vita adhibebit.

Cap. XXIII. *Vir honestus prudenter cum amicis agit.* Diximus §. XXIX. virum honestum non omnia honestatis officia explere posse promiscue apud omnes citra imprudentiae notam. Ergo prudenter cum ipsis secundum ipsorum conditionem aget.

Cap. XXIV. *Vir honestus sua sorte contentus viuus.* Diximus §. XXXIII. seqq. virum honestum leges diuinas agnoscere, et quicquid Deus cuiusque secundum has tribuit. Igitur existimabit iustum esse vt acquiescat in statione sua, quam diuina fors ex lege sua ipsi assignauit.

§. XXXIII. Supererat vt modus perueniendi ad veram vitae honestatem a nobis explicaretur, quoniam vera nobilis haec doctrina peculiararem operam eamque exquisitam postulat, quae hoc loco breuiter traditi nequeunt, alio tempore commodius pertractari a nobis posse putamus.

De modo perueniendi ad veram vitae honestatem.

NOBILISSIMO EXIMIO QVE
VIRO IUVENI
IO. FRIDERICO
KANDLERO,
Doctrinae coelestis et humanae
Cultori, Vitae honestatem gemina dis-
sertatione publice expli-
canti,

PRAESES.


Quaeri coeptum est non heri demum aut nudius tertius, quibus potissimum disciplinis animinum ad sapientiam erudiri conveniat. Enim vero cum iudiciorum diversitate communibus studiis vellent consultum peritiores, res vniuersa in dissentientium opinione conquieuit, et cum quisque nouam iniret consultationis viam modumque, in vniuersum nemini consultum est penitus. Proinde vti aliquis natura et ingenio compositus fuit, rapi se potius quam consulto duci passus est ad excelenda ea, quo animi impetu ferebatur, vel quo per consuetudinem itur, licet eo minime eundum sit. Nonnulli ad inepta et friuola temeritate prolapsi sunt, vt quemadmodum Demonicles, grana cicercis ex spatio longiori missa, in acum artificiose inserere disce-
rent, vel Myrmecidis quadrigas fabricarent, quas musca contegere alis posset. Neque temporis, cuius ta-
men

men sola esse potest honesta auaritia, poenituiffe legimus Aristomachum Solensem, quod in natura muscarum indaganda, pulicumque saltibus metiendis, sexaginta annos insumpserit. Consilio magis istos egisse apparet, qui ad scrutandos naturae abditos recessus, ad commensurandos coelestium corporum meatus et declinationes animum contulerunt, quorum uti studium reprehendi iure nequit, ita fit interdum, ubi potentiora, et quae ante pedes sunt, negliguntur, ut censuram exaudiant haud sane amentis aniculae ingerentis Thaleti ad sidera contemplanda erecto, interim in foream precipitanti: *Qua ratione, o Thales, quae in coelis sunt, comprehensurum te arbitraris, qui ea quae sunt ante oculos videre non uales?* Quos culti sermonis ornatus et disertis oris studium detinet, si argumenti perspicacia abfuerit, in rerum cortice haerent, ut splendide docti quidem, quando cum turba res est, videantur, sed intelligentioribus phaleris magis quam doctrina ornati. Nec quilibet, quae non cuiusque sunt facultatis, facile assequitur, ut prompte, expedite et cum ornatu omnia proloquatur. Bene enim et diserte loqui ad paucos, bene recteque de rebus arduis abditisque sentire ad aliquos, bene autem honesteque uiuere ad uniuersos pertinet. Cuius rei tam noxia semper fuit ignorantia, quam recti iudicii pretium, et sermonis elegantis esse gratia solet. Macte uero ista tua industria ornatissime KANDLERE, qui ad eam potissimum doctrinae partem TE contulisti, quae hominem doctum iuxta ac bonum honestumque facit. Quae sapientiam, uti olim Socrates Philosophiam, a naturae occultis inutilibusque quasi de coelo auocat, et semotam a praetumido loquentiae genere, ad vitam communem ad-

adducit, de virtutibus et vitiis, omninoque de bonis et malis rebus quaerit, nec tam verba, quae dicere facile est, sed exempla virtutis commendat, quae praestare difficile est. Nimirum ut nihil malle nos magis in vita elucescat, quam boni honestique viri nomen laudemque factis tueri. Anni sunt elapsi complures, ex quo ad hanc Musarum sedem ac bonae mentis domicilium primum accessisti, literis instructus, quibus aetas maturior ad humanitatem et doctrinam informari solet. Ex eo tempore nihil Te otio dedisse, neque inutilem Te *περιέγραψαν* consecratum, aut uti Phaedrus ait, multa agendo nihil abs Te actum fuisse, testem habes hanc industriam tuam, et illam quae secundo seculi huius anno, in eodem quem nunc repetita vice occupabis loco, publico auditorio sese approbavit. Ex naturae praeceptis illud imprimis selegisti, citra quod qui cetera omnia sciat, tamen ad decus et verae felicitatis florem vitam agere non potest. Quod unicuique contra qui rite cognouerit, et ad vitae vltimum traduxerit, vir omni laude, omni officio dignus reputabitur, licet cetera, quibus nostra aetate explendescit scientiarum honos, abs se ignorentur. Tu quoniam huic praecepto, uti fecisti, quotidie adiungere stude ingenium mentis cultum atque doctrinam, bonis honestisque hominibus maiori in pretio eris, atque Deo immortali duce et auspice, omnia porro feliciter ages, et optato cum successu perficies. Vale.







Leipzig, Diss., 1704

ULB Halle

004 858 867


3



TA → OL

neu 1+5 Stück verknüpft

• W018





10
86

QVID SIT
HONESTE VIVERE,
secundum naturae praecepta

In
ACADEMIA LIPSIENSI
DVCTV

M. IMMANVELIS PROEELI
Facult. Philos. Assessoris,

explicabit

IO. FRIDERICVS KANDLER,
Schwarzenb. Mifn.
S. S. Theol. Stud.

Dissertatione Posteriori,
Ad D. XVI. Jul. MDCCIV.

LIPSAE,
Typis CHRISTIANI GOEZI.

J. M. Kandler

